

Recess. Imp. de ann. 1548. §. 2. in condenda super blasphemia lege ait: Haben wir samt Churfürsten, Fürsten und Ständen des Heil. Reichs und der abwesenden Bothschafften, das alles mit besonderlichen Beschwerden zubedächtlichen Gemüth geführet, und auf diesem unsern Reichstag allhier weiter gerathschlaget und erwogen etc. Inde venit illud tritum, quod Iurisdictio Camerae morte Imperatoris non expiret arg. l. 6. ff. de Iurisdict. quia scilicet circa eam non solum Imperator sed et Status Imperii concurrunt. GAIL. 1. obs. 41. n. 5. et 6. TREVTL. vol. 1. disp. 12. lit. B. Conf. SCHWANM. obs. pract. Cam. Imp. obs. 3.

§. V.

Causa Impulsiva est vt quisque per sententiam Cameralem grauatus coram Reuisoribus legitimum aduersus eam habeat praesidium. Hinc quam utilis sit Reuisionum vsus neminem esse puto qui non videat, quippe cum iniquitatem et errorem iudicantium corrigat. Licet enim praesumptio sit, eos qui ob singularem industriam, explorata fide et grauitate ad huius iudicii magnitudinem adhibentur, non aliter iudicaturos esse, pro sapientia ac luce dignitatis suae, quam ipse Princeps ac Status Imperii iudicaturi forent, vt loquitur CHARISIUS in l. vn. §. fin. ff. de off. Praef. Praet. et proinde regulariter appellatio a Camera prohibita sit arg. d. l. ex aequitate tamen admittit probationem in contrarium, vt proinde iniquum haud sit, si grauatus errorem iudicis coram Reuisoribus alleget et in melius sententiam reformari petat *Ordin. Cam. de ann. 1555. p. 3. tit. 53.*

C A P. III.

D E

SUBIECTO SEV PERSONIS
IN HOC REMEDIO CONCVRRENTIBVS.

§. I.

Subiectum huius Remedii constituunt personae, quae in hac materia quadruplici modo considerari possunt. I. Iudex et Assessores Camerae, qui sententiae, cuius Reuisio petitur, concipiendae interfuerunt, hi enim sunt instar iudicis a quo ad